

4.

A -ve ma-ris stella, Ve-ra mel-lis stil-la, Fe-cúnda  
 pu-élla, Húmi-lis ancíl-la, Cella stil-lans mella, Mundo mel  
 distíl-la. Mú-li-er quæ ví-peræ Le-tí-feræ Caput contri-  
 ví-sti, Qui- a, Ma-ter grá-ti-æ, supérbi-æ Fastum non sen-  
 sí-sti, Sancta Ma-ter Chri-sti, Non pudor emárcu-it, Sed  
 fló-ru-it, Hunc dum conce-pí-sti.

2. Tu rubus inústus  
 Per quem declarátur  
 Quod venter onústus  
 Castus habeátur,  
 De quo Judex justus  
 Caste generátur.  
 Virga Aaron flórida,  
 Non árida,  
 Fronde repentína  
 De qua viror pródiit,  
 Et éxiit  
 Fructus vi divína,  
 Per quem serpentína  
 Lingua virus vómuit,  
 Et dóluit  
 Dolos in ruína.
3. Ave Jacob stella,  
 Quem, dum prophetávit,  
 Sedens in asélla  
 Bálaam expávit;  
 Moysis fiscélla  
 In qua, cum se lavit,  
 Paraónis filia  
 Egrégia,  
 Moysen eréxit  
 De carécto flúminis,  
 Qui séminis  
 Sui spem provéxit,  
 Dum crimen detéxit  
 Et percússit spúrium  
 Ægyptium  
 Sabulóque textit.
4. Tu es mons intáctus  
 Visus Daniéli  
 Qui es Regi factus  
 Augur infidéli.  
 Lapis hinc redáctus  
 Est Rex rector cæli,  
 Non percússus mánibus.  
 Homínibus  
 Bonæ voluntátis,  
 Tamen sine sémine  
 De Vírgine  
 Grata datus gratis  
 Natus est renátis,  
 Verbum plenum grátiaë,  
 Rex glóriæ,  
 Via veritátis.
5. Æsther, Assuéri  
 Sceptrum amplexáris,  
 Orisque sincéri  
 Tactu osculáris.  
 Prole Regis veri  
 Dum tu gravidáris,  
 Felix est compléxio  
 Quæ vítio  
 Caret voluptátis.  
 Virgo, cum fit crédula,  
 Fit bájula  
 Floris qui non aret.  
 Nam parit dum paret  
 Angeli sermónibus  
 Verácibus,  
 Sicut res jam claret.
6. Ergo, Virgo pia,  
 Et Mater insígnis,  
 Tali prophetía  
 Et tot nota signis,  
 Me rege, María,  
 Précibus benígnis.  
 Educ me de cárcere  
 Ne témere  
 Præda sim prædónis  
 Qui me sæpe círcuit,  
 Et díruit  
 Murum ratiónis.  
 Duc me Babylónis  
 De fornáce férrea,  
 Sidérea  
 Mater Salomónis.  
 Amen.